

M²⁶

MELETEMATVM PHILOLOGICORVM

FASC. IV.

AD ORATIONES

VALEDICTORIAS

OBSEQVIOSE

INVITAT

M. I. G. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEANIS.

XXVI.

I.

Noua et adhuc inaudita notatione nuper IO. ADELB. GOTTFR. SCHNIEBERTVS a) dictionem Hebraicam אָדָם explicauit. Vt enim negat, hoc nōmen fuisse primi hominis proprium, sed universo generi humano commune vindicat: ita ipsam nominis naturam postulare adfirmat, ut ex tali origine deriuetur, qualis in omnes omnino conueniat homines, qui haec nota ab aliis rebus creatis secerni possint atque internosci. Et quoniam homo, potissimum animae habita ratione, a ceteris animalibus differt, aequum fuisse, et conditoris sapientia dignum, statuit, ut illi nomen imponeretur, quod potius animae excellentiam referret, quam quod de elegantia solius corporis, partis veluti ignobilioris, testaretur. Hac de cauſa illam etymologiam reicit, quae vocabulum אָדָם vel a *rubore* et elegantia, vel a *terra* deriuat. Contra vero omnes difficultates expirare, sibi persuaderet, si hoc nomen ad radicem רַמְחָה refeatur, quae *similem esse* significat. Quia enim immortalis opifex huius uniuersi ipse adfirmat, b) hominem factum esse בָּרוּךְ הוּא, ad similitudinem suam, haec denominatio ratione sufficiente haud destitui sibi videtur. Neque formam Grammaticam repugnare, existimat, et eodem iure, quo אָבָן, אָשָׁם, אָכֹב, שָׁמֶן, ex נֶתֶן, קָרְבָּן, et itemque אָבָה et חָמֵם, abiecta tercia rad. ה, ex וְ et חָמֵה prodeunt, אָדָם ex רַמְחָה deriuari. At enim uero non satis erat, ad formas generales prouocare; sed formam huic, quam vox אָדָם habet, similem Cl. Auctor in medium adserre debuisset, si potuisset. Si nempe nomen Hebraicum produxerit, quod ex verbo לְ deductum, tercia rad. ל eiecta, נ heemanticum in fronte gerit, et duobus Kamez insignitur; dictionem אָדָם eandem in classem referre non dubitabo. Sed longe aliam formam ea nomina induere, exempla docent. Sic enim ex רַבָּה fit locusta, ex הַנָּה prodit מֵרַבָּה, merces, ex שָׁוֹם ponere, deducitur אַסְטָמָה, horreum. Quae omnia ita sunt comparata, ut neminem fere, nisi quis sibi praefidens videri velit, hanc vocem ab alia radice, quam ab אָדָם, deriuari pariantur.

II.

Quam leuis armaturaे milites in litteris Hebraicis cum explicandis tum applicandis olim Scholastici fuerint, testimonii haud paucis demonstrari potest. THOMAS AQVINAS, inter suos cognomen Angelici sortitus, ubi de vocibus CHERVBIM et SERAPHIM disputat, hanc criti-
cam

a) Diff. Theol. philol. de voc. אָדָם origine et significatione. Hal. 1749. b) Gen. I, 16.

cam adserit: c) CHERVBIM et SERAPHIM sunt masculini generis, et pluralis numeri, desinentia in ים, et ponuntur pro pluribus personis unius ordinis. CHERVBIN autem et SERAPHIN desinentia in י. sunt neutrius generis pluralis numeri, et ponuntur pro-toto collegio unius ordinis. Et quis, quae lo, haud excusat discipulos cum magistris alucinares? Quam turpiter enim in hoc studiorum genere Patres, quos ecclesiasticos vocant, lapsi fuerint, quis nescit? ubi e. c. IVSTINVS MARTYR d) vocem Satanas ex Hebr. טש sat, i. e. desertor, et שׁוֹב, nabas, i. e. serpens, componi adfirmat, EVSEBIVS e) noimen Caini a נָכָר kana, i. e. aemulando, dictum fuisse, statuit, EPIPHANIUS dictionem Eua cum adspiratione mulierem, sine adspiratione serpentem indicare, pronuntiat. f) etc. etc.

III.

Ex quarundam litterarum Hebraicarum in codicibus vetustis non satis distincte expressarum similitudine diuersam explicationem natam fuisse, copiosis exemplis alibi in medium adlati, fuit demonstratum. g) Quibus nunc alia addimus, quae idem confirmant Num. XXIII, 15 אֶקְרָה abuturam procedam, ex קְרָה, Germanice conuersum legitur: *ich will warten*, quasi esset אֲקוֹה ex קוֹה exspectauit. *Nehem.* VII, 3 עֲמָרִים stantes, Germ. *arbeiteten*, ex עַמְלָה, laborauit. *Psalm.* LIV, 5 זְרִים alieni, Germ. die *stolzen* qf. וּדְרִים *P/alm.* LXXX, 16. בֵּן filius, Germ. *festiglich*, qf. בָּן, firmiter. *Prou.* XVII, 27. וּקְרָה et frigidus, Germ. *theuer*, qf. יְקָרָה pretiosus. *Ies.* XXXX, 13. רְכָן expendit, Germ. *unterrichtet*, qf. בְּנֵן ex הַבָּן, intelligere. *Ier.* L, 27. פְּרִיה iuuenci earum, Germ. *ibre Kinder* à בָּר filius. *Hesek.* VII, 11. נָה flatus, Germ. *Trost*. qf. נָשָׁה quies.

IV.

Eadem proclivitate formas dictionum grammaticas ab interpretibus nonnunquam confusas esse, intelligimus. Neque est, quod hoc miremur aut exagitamus, si animo perpendamus, quot olim tricis res grammatica fuerit implicatea, quibusue difficultatibus et salebris critices studium iacuerit obseptum. Ex multis exemplis haec pauca adferamus. *Exod.* XXXIII, 14. הַבִּירּוֹת לך, quietem tibi conciliabo, ex כֹּוח quiescere, Germanus interpres transferens: *ich will dich leiten*, procul dubio radicem נָה duxit, in mente habuit. *Psalm.* CXXXXIII, 4. יְשֻׁחָנָם, ob-stupuit,

c) L. II. Sentent. Dist. IX, art. 4.
par, Euangel. L. XI, c. 6.

d) Dialog. cum Tryph p. 331.

e) de Prae-
Vol. I. II. III.

f) contr. haeret. L. III. f. 1092.

g) Hess. Hebopf.

stupuit, à שָׁפֶם germanice conuersum legitur: *es ist verzehret*, veluti a המ deducendum, quod consumere et perficere significat. *Ier. XXIII, 39.* obliuiscor, à בְּשָׁה deriuandum, in vernaculo sermone translatum legitur: *ich will uegnehmen*, à נִשְׁאָה abstulit. *Mich. IV, 9.* הריש clanges, ab הַרְעֵץ, clanxit, Germanus vertit: *du hangeſt dich an*, quasi radix esſet רַעַת consociari. *Zach. IV, 12.* המרויקים, euacuantes, à רֹק, germanice transfertur: *damit man abbricht*, radicem fingens מַרְקֵד, deſtruit.

V.

Multae dantur in lingua Hebraica dictiones, quae eandem formam ad diuersas radices referunt. Ita e. c. *Cobel. II, 1.* vox אֲנָסָכָה ex verbo נְסָתָה, deduci et reddi potest: *ego te*, (o cor meum!) tentabo. Quo sensu LXXles tranſtulerunt: περιστώ σε. Neque inuita forma grammatica transfertur: *ego inungam te*, i. e. omnis generis deliciis te cumulabo, à נְסָתָה, inunxit. Nonnunquam tamen inter dictiones ſimilis formae certa nota intercedit, qua altera ab altera potest diſtingui. Ita הַוְגָה bogah *Thren. III, 32.* moeſtitia adfeclus eſt, quod ad radicem יְגָה refertur, ab illo הַוְגָה bogah, *2. Sam. XX, 13.* quod significat amotus eſt, et ab הַגָּה deriuatur, eo internoscitur, quod illud cum fulero 1, hoc autem fine eo legitur. Cum qua forma conſpirat מְרָה rebellans, *Deuter. XXI, 20.* ex docens, *Hiob XXXVI, 22.* ex וְרָה deriuandum. Interdum accentus alio atque alio loco poſitus differentiam subindicit. Quo sensu e. g. dictio שְׁבָח, si aut Milel fit aut Milra, dupliſi ſenſu uno in loco occurrit *1. Reg. VIII, 48.*

VI.

Inter ingenii luxuriantis vel potius cerebri delirantis ineptias merito illa etymologia refertur, qua Anglus, IO. TVRNERVS h) Latinum nomen Pontifex ex verbis Hebraicis פָּונְחָה אֲהָן conflatum eſſe, contendit, hanc ſuae deriuationis cauſam interferens, quod haud exiguum facerdotum officium olim in eo poſitum fuerit, ut respicerent ad ignem et sacrificiis destinatum, et caelitus in ſignum diuinae benevolentiae demiſſum: cuius utriusque vestigia aperta in ſacris litteris obuerſantur i) Eandem fere licentiam ad explicanda nomina IO. HARDVINVS adſert, quum e. g. *Libertinos Act. VI, 9.* commemoratos, adpellatos eſſe ſtatuit quaſi לְעֹבֵר הַנִּי i. e. qui ſunt ad latus utrumque, ſcilicet Palaestinae et

Syriae

h) Bibliotheqv. Vniuersi. T. XV p. 53. i) Lev. VI, 9. 10. IX, 23. 24. 2. Macc. I, 19. 1. Reg. XVIII, 38. 1. Chron. XXII, 26.

Syriae vicini: *Phariseos autem ex פְּרַדָּה, fructum tulit, et צָעֵד, de loco in locum migravit*, nomen traxisse, dictitat, quod tales ii fuerint apud Iudeos, quales sunt hodie praecones ad propagandam fidem Christianam in terras infidelium ablegati. k)

VII.

Cum multa alia in sacro codice loca prostant, quae praestantiam opum subterraneorum ex infimis telluris recessibus incredibili studio eruendarum commandant, tum in primis lobum, naturalium rerum perittissimum, in libri, qui ab eo nomen tulit, capite XXVIII. admirabilem Dei sapientissimi potentiam, in parandis metallis et formandis gemmis conspicuam, proponere voluisse, tantum non omnes sacrarum litterarum interpres adfirmant. Nuper tamen IAC. KOCHIVS explicationem huius capitinis prorsus alienam in medium adferre non dubitauit, l) statuens, lobum in illo agere de Pharaone, Aegypti rege, in mari rubro cum suis militibus misere submerso, postea vero a maris aestuantis fluctibus in littus eiusdem, atque ex vestimentis regiis, auro, argento, varia que gemma exornatis, ante alios noscendo. Ita enim ille: *Alle Ausleger sind bisher bey diesen Capitel auf eine geglaubte Beschreibung eines Bergwercks und der Bergwercks - Arbeit gefallen Vnd es ist vvabr, dass die meisten hier genannten Schätze aus Bergwercken herkommen. Allein die Handlungen und andere Vmstände, die Hiob dabey meldet, kommen zum Bergwercke sehr gezwungen. Vnd vvenn schon ein Veberseitzer alles recht bergmennisch einkleidet, so sagt ein recht hebräischer und ungerade brechter Grundtext doch nicht ia dazu. Quam coactam vero contortam et difficilem ille vulgarem istam et adhuc communis consensu receptam explicationem iudicat, tam perplexa et inconueniens ea est paraphrasis, quam nouis interpres suis lectoribus propinat, et ex qua fanus sensus, vix admotis fidiculis, extorqueri potest. Audiamus comma huius capititis primum: Ie! vwas geschicht nun da? So bestebet und bleibt dennoch, so, vwie ich oben davon vveissagte, fest gestellet, für das mit dem Tyrannen und mit seinen Heer untergegangene Silber ein Ausgang an einen Unschuldigen, der es erben sollte, aus der See ans Land, und fürs Gold ein Ort, da man sonst am vvenigsten Gold suchen und vermuhen sollte, nemlich da, vvo man das Spülich oder den Vnflatb aus meinem Hauffe ausgießet. Quam exiguum autem ipse Paraphrahestes rerum metallicarum habuerit*

k) in Opp. f 903.

l) in Rechtbeleuchteten Buch Hiob P. II. p. 470.

habuerit notitiam, ex eo adparet, ubi ait: *Hieb sey mit seinen Freunden
in einen Kux hinunter gefahren.* m) Quis quoquo est, qui, haec legens,
temperet sibi à risu?

VIII.

Multa super *Periculo* illo, quod CORNELIUS NEPOS commemo-
rat, n) disputata fuerunt. Et alii quidem hoc nomine ipsam condem-
nationem et capitum supplicium, quo adflectus fuit Epaminondas, indicari
perhibent, alii autem tabulam damnatoriam exprimi putant, in qua reo-
rum nomina et mortis causa exponi et significari solebant. Quae po-
sterior explicatio priori hoc loco recte praefertur. Non solum enim
PLVTARCHVS, eandem historiam percensens, o) Epaminondam
ait, rogasse, ἐπιγενέσθαι τη σηλη την καταδίκην, ut inscriberent columnae
causam suae damnationis; sed AELIANVS etiam haec fata his
usus verbis repetit: p) οἵξε, αποκρενεύεις αὐτον, ἐπιγενέσθαι μεν τοι τη σηλη, δι;
etc. Quae Cornelius Nepos hoc modo refert: *unum ab iis petiuit, ut
in PERICVLO suo conscriberent*, etc. Et quoniam APPIANVS addit, q)
Epaminondam petiisse, κατα τον ταφον ἐπιγενέσθαι, i. e. ut haec sepulcro
suo inscriberent; PERIZONIUS Periculi nomine columnam illam innui
adfirmat, r) cui elogium seu titulus mortui inscribebatur, sepulcro in
memoriam denati imponendam. Generatim igitur omne publicum
scripturae genus hoc nomine adpellatur, quod magistratus conceptis ver-
bis vel dictat vel scribit: quo significatu CICERO, ubi de scribis sua
aetatis loquitur, eorum, inquit, s) *bominum fidei tabulae publicae peri-
culaque magistratum committuntur*. Speciatim autem ad aliam atque
aliam causam, quae vitam, famam, et res gestas complectitur, haec dictio
transfertur. Et hac mente Epaminondas, de Thebanis praecclare quidem
meritus, sed inique ab iisdem condemnatus, postulabat, ut in periculo
suo, h. e. in tabella, vel etiam columna sui ad memoriam decernenda,
haec verba inscriberent: Epaminondas a Thebanis morte multatus
est. Ipsa vero dictio, cum qua *Pariculum* fere conuenit, de quo GES-
NERVS legi potest, t) optime ex Graeco περικλεῖν deriuatur, quod in-
volumen significat, et ratione etymologiae chartam notat vel membranam
litteris

m) I c. p. 473.

Hist. L. XIII. c. 42.

p. 918.
p. 696.

n) in Epam. VIII. 3.

q) in Syriac. p. 184.

s) Orat. in Verr. III. 79.

o) in Epam.

r) in Nott. ad Aelian.

p) Var.

t) Thesaur. Lat. Ling. T. III.

litteris insignitam et conuolutam. Quae denominatio ex veterum scribendi consuetudine et facile explicatur, et ad omnis generis monumenta recte transfertur.

IX.

Sunt, qui *vinum Chium maris expers*, ab HORATIO decantatum, u) illud dici existimant, quod, licet in Italia natum, neque trans mare fuerit aduectum, Chium tamen, veluti praestantissimum, dignitate referat atque exaequet. Alii autem hoc nomine illud propinari vinum statuunt, cui nihil aquae marinae est admixtum. Veteres enim constat salem aut muriam poculis suis adsperrgere consueisse, ut et ipse potus defaecaretur, et cibi concoctio adiuuaretur, neque caput crapula tentaretur: de qua commixtione COLVMELLA et CATO copiose exponunt. w) Vina autem generosa in Lesbo et Chio nata hanc aquae marinae temperaturam non tulisse, GALENVS, x) et ex eo IO. LANGIVS, Lembergius, y) docent: quippe quae hanc ob caussam *ἀπαραχυτα*, h.e. mixturae impatientia, cognominabantur. z) Iam si quaeras: quinam sensus in verba illa Horatiana exacte conueniat? CHABOTVS a) quidem lectori liberum relinquunt, utram explicationem sequi velit. At vero propriam illam posteriori esse praeferendam, et *vinum maris expers* *vinum vernaculum* atque indigenam referre, ex eo haud obscure intelligitur, quod idem poeta, paucis interiectis, b) *vinum Chium circa mare natum* adpellat.

X.

PHARVS duo significat, et pro diuersa significatione cum diuerso etiam genere copulatur. Aut enim insulam et ciuitatem eiusdem nominis in Aegypto prope Alexandriam refert, de qua geographi exponunt: aut turrim notat, in hac insula ab architecto celeberrimo, Sostrato Cnidio, regis Ptolomaei Philadelphi inslu et sumtibus splendide exstructam, diis Seruatoribus in nauigantium salutem inscriptam, et inter orbis miracula antiquitus relatam, cuius magnificentiam post alios HVMPHREY PRIDEAVX luculenter descripsit. c) Quemadmodum autem ipsa vox origine graeca est, quod littera peregrina Φ indicat; ita etiam suum genus ex adpellatiuis graeci sermonis nominibus mutuatur. Si enim tur-

u) L. II. Sat. VIII, 15.

y) in Epistol. Medic. L. I. Ep. 27.

a) Commentar. ad h. l. einer Connex, P. II. p. II. sqq.

w) de re rust. c. 104.

b) vers. 47.

z) Gaken, de composit. medic. L. IV.

x) in Method. L. XII.

c) Alte und Neue Test. in

rim significat, subauditio nomine masculino πυργος, i. e. turris, genere exprimitur masculino: si vero insulam vel urbem notat, intellectis nominibus νησος insula, vel πολις, urbs, generi feminino responderet. Consentit AVCTOR ETYMOLOGICI MAGNI: d) Φαρος, inquiens, ει μεν αρσενικας, σημαινει τον τοπον, ει de Θηλυκως, την πολιν. Quemadmodum autem Pharos duplicitis generis beneficium olim nauigantibus praefstabat, alterum, noctu accenso lumine cursum nautarum per longinquo monstrando, alterum, noctu acenso lumine cursum nautarum per tenebras dirigendo: ita expressissimam sapientiae imaginem referre videtur. In quam sententiam egregie DION: e) quemadmodum, inquit, inter nauigantes, qui faces turrium obseruant, ii maxime salvi euadunt, portumque inueniunt: ita, qui secundum leges sapientiae viuunt, tutissime per vitam transcurrunt, commodamque sedem nanciscuntur.

Quam felicitatem uti omnibus illis propensissimo animi affectu opto, qui sapientiae studiis in nostra litterarum officina seruunt; ita iis in primis candem ominor, qui iam in eo sunt, ut nostris ex complexibus dimittantur, scholam superiorem adiuturi. Hi, ante quam abeant, pietatis et diligentiae specimina publice proferent, et à Patronis, Fautoribus, atque Amicis religiosa vota ad fortunauda sua studia exspectabunt. Primus prodibit

CAROL. GOTTFR. GLAESER, Gelenau-Misn.

iuenis, et pietate, et modestia, et diligentia, et utriusque artis musicae peritia commendatissimus, oratione Latina diuinam maiestatem in montibus mirifice exsplendescerentem complexurus, Secundo loco

GOTTHELF HEINR. HEYNE, Naundorf-Misn.

qui id adhuc sedulo egit, ut dotes à natura faustici concessas bene collocaret, feque ad futuram felicitatem oportune praepararet, verbis Hebraicis de legibus Iudeorum exponet. Tertius

BENIAMIN FRIDR. KOEHLER, Doebla-Misn.

in quo singulares corporis atque animi virtutes suspicimus, et qui familiae suae paternoque nomini nouum decus minatur, oratione Theotisca de cognitione animorum, doctori in primis necessaria, perorabit. His, non tam more quam amore ductus, commilito coniunctissimus

Gottlob Fridr. Zündler, Freiberg,

poëmate Germanico bona verba aclamabit, verisque incuntis delicias decantabit. Non dubito, quin Vestram, Patroni et Fautores, benevolentiam, quam his adolescentibus saepius declaratis, etiam cras, hora ante meridiem nona, auscultando, fitis praeflituri. P. P. Freiberg. prid.

Cal. Mai. A. R. G. MDCCCL.

Yb 627
(1180)

ULB Halle
002 103 591


3



TA-DOL

VD 18





MELETEMATVM
PHILOLOGICORVM

FASC. IV.

*AD ORATIONES
VALEDICTORIAS*

OBSEQVIOSE

INVITAT

M. I. G. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEANIS.

XXVI.